



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De tertio bono matrimonij spiritualis, quod est Sacramentum inseparabilis,
quod requirit mutuam vnionem, & felicem liquefactionem. Cap. Cl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

lent in quibusdam locis astantes se verberare mutuo, dicentes: Tene de nuptijs: sic sponsus tuus in nuptiarum confirmatione, scilicet passionis tempore, cum tota animi promptitudine de nuptijs opprobria, liuores suscepit & vulnera, ne partem suam de nuptiarum ictibus portare grauetur & sponsa. Vnde Bernardus: Notam tibi fecit Deus dilectionem suam, experiatur & tuam. Nō illum vicere peccata tua, teq; illius flagella non superent: sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectū. Alioqui quādo redisses ad eum, nisi tibi ille perseverasset, nisi clamasset: *Reuertere, reuertere Synamitis?* Esto igitur & illi perseverans, vt nullis ab eo flagellis aut laboribus auentaris: quia *regnum calorū vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et tunc verum exhibes amoris indicium, quia, secundum Chrysostomum, in tantum succensus ardet amore Christi perfectus amator, vt etiā si ipsas immortales flammās adhibeas, nesciat, non sentiat, non vratur: quia multo vehemētiore est ignis Christi, quo per amorē intus vratur. Ardentiore namq; desiderio constructus, ita suffert omnia, quōd ex his, quas patitur, pœnis, solatia magis amoris sui capiat, quā dolores corporis sentiat. Dolor enim non est, nisi vbi amor & gaudium carnis fuerit. Qui ergo in carne viuunt, in carne sentiunt, & illis dolor corporis est grauis, quia suaue fuit eis gaudium corporis. Qui autem in spiritu viuunt, in spiritu sentiunt, nō in carne. Vnde etiam illis deuastatio carnis non est grauis, quia non fuit illis suaue gaudium carnis. Ita enim debet amari sponsus Christus, & sic eius amor debet animam hominis à rebus præsētibz alienam facere, quōd nec ipsam sentiat corporalem pœnam: seipsum enim, quodammodo perdere tanquam quōd non sit, & omnino non sentire se ipsum, à seipso etiam exinaniri, & penē annullari celestis est conuersationis, non humanæ affectionis, quibus maximè promeretur. Sponsus Vnde dicit Origenes super Cantica, quōd plurimi Græcorum ostendere conantur, non aliud esse, nisi vim amoris, quæ animam de terris ad cellā cæli fastigia perducit, nec ad summam peruenire beatitudinē, nisi amore animi desideria prouocantis.

De tertio bono matrimonij spiritualis, quod est Sacramentum inseparabilitatis, quod requirit mutuam vnionem, & felicem liquefactionem. Cap. CL.

Sacramentum matrimo-

Dilectus meus mihi, & ego illi. Tertium verò bonum matrimonij spiritualis est Sacramentum, vt anima sponsa nunquam à Christo spon-

Non sponſo ſeparetur, ſicut Chriſtus nunquam ſeparatus fuit, nec ſepa-
 rabitur ab Eccleſia: & ideo ſubneſcit ſponſus dicens: *Sponſabo te mihi in*
ſempiternum, quod ſit per inſeparabile glutiſimum charitatis, de qua dicit
 Auguſtinus: Charitas eſt affectio animæ rectiſſima, Deo nos coniungēs
 Charitas eſt ſponſa Chriſti, amor Spiritus ſancti, dulcedo animæ, gau-
 dium conſcientiæ, ſcala cæli, ianua Paradifi, Imperatrix & Regina vir-
 tutum. Charitas eſt concordia mentium, vnitas voluntatum, dulcedo
 & gaudium Angelorum, beatitudo omnium electorum. Charitas eſt
 inter opprobria ſecura, inter odia benefica, inter iras placida, inter in-
 fidias innocēs, in iniquitate gemēs, in veritate respirans, in virtute con-
 gratulans. Amor enim, ſecundum eundem, vbi venerit, cæteros omnes
 tradit & captiuat affectus. Amor per ſe ſufficit, per ſe placet, & pro-
 pter ſe. Ipſe meritum, ipſe præmium, ipſe cauſa, ipſe fructus, ipſe vſus.
 Amor nos coniungit Deo, faciens vnum ſpiritum è duobus, & vnum
 velle & nolle. Amor Dei vehemens ſolum Deum complectitur, cæte-
 ra ſaſtidit & contemnit, quicquid meditatur, quicquid loquitur, amo-
 rem ſapit, amorem redolet. Magnum omnino bonum eſt amor, qui
 omne oneroſum facit leue, & æqualiter fert omne inæquale, omne a-
 marum facit dulce, & omne pœnale facit delectabile. Magna res omni-
 no eſt amor, quo anima per ſeipſam fiducialiter accedit ad Deum. Deo
 conſtanter adheret, Deum familiariter percunctatur, conſulitque de
 omni ro. Amor enim dignitatis & reuerentiæ neſcius, Deo familiari-
 ter loquitur, nihil timens, nihil hæſitans, ſed audens fiducialiter ad
 Verbi nuptias adſpirare, & cum Deo ſœdus inire ſocietatis, duce-
 reque ſuaue iugum amoris. Amor enim dat familiaritatem, famili-
 aritas auſum, auſus guſtum, guſtus famem, frequentans illud Pſal-
 miſtæ: *Sicut deſiderat cervinus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima men-*
te ad te Deus. Hæc omnia facit amor, ſi ſe Deo ſimile exhibet anima per
 voluntatem, cui ſimilis eſt per naturam, diligens Deum ſicut dilecta
 eſt. Amat liquidem Deus, vt ametur; & cum amat, nihil aliud vult, q̄
 amari, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amauerint. Renuncians igitur
 anima cunctis alijs affectionibus, tota ſola ſoli incumbat amori, ſe tota
 effundens in amorem illius, cui reſpondere habet in reddendo amore.
 Per amorem enim venit Deus ad homines, venit in homines, factus eſt
 homo: cuius delicia ſunt eſſe cum ſuis hominibus. Noſtre verò delicia erūt,
 cum ad eum veniemus, & eum ſicut eſt, videbimus, & tunc ſimiles ei erū-
 mus, eritque de cætero manifeſta & plena cognitionis viſio, vera dile-
 ctio,

Pſal. 41.

Prouer. 8.

1. Ioan. 3.

Ad Aaim.

ctio, firma coniunctio, societas indiuidua, similitudo perfecta, & vita beata. Et sic matrimonium spirituale perficietur in gloria, inseparabili coniunctione ipsius animæ cum Christo & perfecta. Vt igitur, o anima, digna fias illius felicissimo amplexu, hæc omnia inferiora contemne, & illius amori iugiter inhære stude, quia sine amore nunquam potes esse, sed alligata amori terreno, viscum habes in pennis, nec volare potes. Solus amor sanctus ab hoc visco te solutam eleuat ad diuina. Quia, secundum Chrysostomum, anima cum igne diuino fuerit ignita, ad nihil eorum, quæ sunt in terra, de reliquo respicit, nec ad gloriam, nec ad verecundiam, sed ad vnam solam, quæ detinet eam, charitatis flammam: nimirum cum gustata gutta charitatis diuina, iam desipit omnis dulcedo transitoria, & sola dulcescit suauitas, charitasq; diuina. Cæterum Sacramentum matrimonij spiritualis requirit omnimodam inseparabilitatem sponsi & sponsæ: & ideo duo principaliter præsupponit, scilicet mutuam vnionem, & felicem liquefactionem. Ad quæ duo feliciter adipiscenda, requiritur in sponsa castus amor, & vehemens. Castus amor nullum medium admittit, & vehemens arctius stringit & perfectius vnit. Solus enim amor castus proprie Deum colit vt sponsum, purissimum spirans amorem, & nuda nudo sponso iungitur, ab omni affectione & intentione peregrina depurata. Vnde ait Augustinus: Deus gratis vult se coli, gratis vult se diligi, hoc est, castè amari. Solum propter se amandus est Deus, non propter aliquid præter se. Et omnia quæ amantur, propter eum solum amanda sunt: quia talis dilectio casta est, vt dicat cum Psalmist. *Mibi adherere Deo bonum est.* Ad charitatem etiam vehementem hortatur Origenes super Cantica dicens: In diligendo Deum nullus modus, nulla mēsurā est habenda, nisi hæc sola, quod tantum exhibeas quantum potes. Mensura tua sit possibilitas tua. Hæc enim dilectio est *ingum Domini suauis, & onus leue.* *Inquam*, inquam, quod non premit, sed vnit; *& onus*, quod penas habet, non pondus. Quid enim suauius, quàm mūdi contemptu mundo se cernere altiozem, ac in conscientia bonæ verticem consistentem, Deoq; per amoris cōplexum vnitum, sub pedibus habere totū mundum, nil videre quod apperat, nullum quem metuat, nulli cui inuideat, nihil quod ab alio posset auferri, suum esse, nihilq; quod sibi posset ab alio inferri, malum esse? Ecce quid vehemens amor agit in anima sancta. Quanta in huiusmodi amore iucunditas, quati mor omnis excluditur? quanta in iucunditate tranquillitas, quæ omnis ira compescitur?

Matrimo-
nio myri-
co necessa-
ria.

Psalm. 72.

Matth. 11.

tur? quanta in tranquillitate securitas, qua totus mundus contemni-
 tur? vt merito iam dicat sponsa: Annuntietis dilectò, *quia amore lan-*
guo. Qui languor confert ad mortem peccati, ad contemptum mundi &
 sui, ad feruidum amorem dilecti. Primum igitur quod requirit Sacra-
 mentum matrimonij spiritualis, est vnio sponsi & sponsæ. Spiritus
 enim sponsæ, cum per amorem intimum adheret Deo, per voluntatis
 conformitatem efficitur vnus cum eo. Dicit enim S. Thomas, quòd a-
 nima vnitur Deo morum & virtutum conformitate, voluntatum iden-
 titate, & intima charitate. Quæ nimirum vnio spirituum, aëri con-
 uenienter assimilatur, qui scilicet illuminatus in se, lumē solis incor-
 porat, ita quòd ex aëre & lumine vnum lumē fieri videatur. Similiter
 & ferro, quod per magnetem magnetis affectum induit & proprietate
 vt & aliud ferri ad se trahere valeat. Præterea, quia Deus spiritus est,
 & similitudo vnionis causa est, non mirum, si spiritus rationalis, debi-
 tē purificatus, spiritui diuino, cui iam similis effectus est, vnatur. Spi-
 ritus verò noster sic assimilatus, qualificatus, & affectus per amorem,
 qualificaretiam & afficit corpus proprium, tanquam suum formabi-
 le seu materiale, per redundantiam spiritus ad corpus: quo fit, vt pro-
 prium corpus sic habituatum, sic affectum, induat & gerat quascūq;
 proprietates ipsius spiritus, proprijs vel derelictis, vel multum ab actione
 sua suspensis. Hinc dicit Aristoteles, quòd in virtuoso omnia conso-
 nant rationi. Sic si spiritus noster à Deo tractus, trahit & ea, quæ sunt
 corporis, ex quo resultat vnio mirabilis spiritus ad Deum, & corpo-
 ris ad spiritum, eò quòd spiritus noster per amorem perfectum, suo
 perfectibili sic coniunctus, statim quietatur, satiatur, & stabilitur, tan-
 quam suam perfectionem adeptus, & finem suum, vel centrum conse-
 cutus. Secundum autē est felix quædam liquefactio, de qua dicit sponsa:
Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Vbi dicit Bernardus:
 O dulcis cōfabulatio Dei in anima, & cum anima, quæ sine lingua stre-
 pituq; labiorum formatur, & in silentio sine aure percipitur: solus au-
 dit cui loquitur, & alienus excluditur: quorum virtute & auditu cor-
 da liquefcunt, liquefcendo deficiunt ab eo quod fuerūt, & deficiēdo
 perficiuntur in eo in quem fluunt, scilicet in amatum interna aspirati-
 one colloquentem. Sicut enim ignis materiam in se cōuertit, in quam
 agit, sic etiam amor diuinus animam in se conuertit, quam accendit.
 Et sicut varia metalla igne resoluta pariter in vnum cōfluunt, sic De-
 us & anima à se diuerfa per amoris ignem liquefcendo in vnum spiri-

Cantic. 7.

Vnio sponsi
& sponsæ.Liquefa-
ctio.

Cantic. 5.

tum confluunt, dum per felicem liquefactionem in illam unitatem anima dulciter effluit, quam à Patre sponsus expostulans, ait: *Rogo Patrem, ut unum sint in nobis, sicut & nos unum sumus.* Vnde dicit Origenes super eodem verbo, quod diuinæ consolationis felicis tantus effectus est liquefactio. Liquefcit enim mens, dum deuotione mollescit, vt sponsus in ea suaviter cubet, & nihil duri ei obstat. Liquefcit, dum deuotione calescit, vt dilectus in ea calorem diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquefcit, dum deuotione superrefluit, vt Deus solus in ea solū dominium & plenum obtineat: tunc omnis motus, omnis visus, omnis imperus eius, feliciter in aternitate terminatur.

Quod Deus inhabitat animam tanquam regnum per iustitiam in rationali, per pacem in irascibili, & per gaudium spirituum in concupiscibili: & de triplici hierarchia mentis. Cap. CII.

Regnū Dei
in anima
quod.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Canticorum vij. Quasi diceret: Quia dilectus meus ascendit in palmam, vt me sibi acquireret, & totum amorem meum sibi vendicaret, ego dilecto meo me totam offero, ad regendum me tanquam regnum, totam me præparo ad inhabitandum, tanquam habitationis locum, domum, vel templum: quia ad me à pœnis liberandam, à peccatis mundandam, gratia decorandam, virtutibus adornandam, gloria sublimandam, & æternaliter inhabitandam, conuersio eius. Deus enim animam fidelem velut imperiale regnum optime dispositam, regere & inhabitare dignatur. Et ideo dicit Dominus: *Regnum Dei intra vos est*, quod scilicet regnum Dei Apostolus ad Romanos specificat, dicens: *Non est regnum Dei estia & potius sicut Epicurei assererent, qui voluptatens carnis summum bonum esse dicebant: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et sic regnum Dei tres habet ciuitates principales, quæ sunt, iustitia, reftimicans iudicia rationis: pax, tranquillans imperia facultatis: gaudium, adimplens desideria voluntatis. Iustitia in rationali, pax in irascibili, & gaudium in concupiscibili.

Luce 17.
Rom. 14.

Regni eius
ciuitates.

Iustitia.

Et hæc tria sunt velut imago quadam & arrha perennis lætitiæ futuri seculi. Prima ciuitas dicitur, iustitia, charitate diuina formata, quæ est virtus generalis in declinando malum, & faciendo bonum. Quæ iustitia licet primò perficitur ex quodam timore, & cum quadam difficul-